

Reichel:  
Commentatio  
de diebus  
lustricis.



1124

N<sup>o</sup> 48.

19

COMMENTATIO  
DE  
DIEBVS LVSTRICIS

---

---

A V C T O R E

S A M V E L E   R E I C H E L E  
L E G V M   C V L T O R E.



K65376

---

C H E M N I T   C I O   I O C C L V I I I .

\* \*

L I T T E R I S   S T O E S S E L I I S .

1231.

Y 3  
COMMUNITATIO  
DE  
DIEBAS PASTORIS

ACUTORI  
SAMMELN HINHILFEN  
SICH ZU GEMEINDE



ANNO 1750  
GOTTES WERK  
ZUR ERLEUCHTUNG

V I R O  
EXCELLENTISSIMO, IVRIS-CONSULTISSIMO,  
DOCTISSIMO DOMINO,  
D O M I N O  
**DANIELI GOTFRIDO LIEBE,**  
PRAEFECTVRAE STOLLBERGENSIS PRAEFE-  
CTO A REGE POLON. ET SAXON. ELECTO.  
RE CONSTITVTIO, MERITISSIMO  
PATRONO AC FAVTORI MEO OPTVMO.



Commentatiunculam, quam in praesens edere constitue-  
ram, nullus dubitauit, quin EXCELLENTI TWO  
NOMINI inscriberem, vt pietati, quam sanctissime  
semper seruabo, erga TE satisfacrem, TE que VIR  
EXCELLENTISSIME! docerem, me non esse  
eum, quem memoria beneficiorum non tangeret. Non beniuole so-  
lum me aduententem excepisti; sed & iam dignum me iudicas, quem  
mirifico TWO Amore, Fauore ac Beniuolentia prosequaris; quibus  
consideratis, facile videbis causam, cur hanc dissertatiunculam hodier-  
no diei maxime conuenientem TIBI praeprimitis sacram esse cupiue-  
rim. Est splendor, quem hicce libellus, qualis qualis sit, ex AMPLIS-  
SIMI NOMINIS TVI inscriptione accipit. Praeter has ratio-  
nes accedit officii ratio, quae postulare suo iure videtur, vt TIBI,  
PATRONE CERTISSIME! natales, quos hodie saluus salu-  
tas, non pro more; sed ex animo gratuler, me que vterius, TIBI,  
TWO Fauori, Amori, Patrocinio, TVAE que Beniuolentiae com-  
mendem; quae commendatio melior mihi creditur ea, quae ab aliis

petitur; licet non semper sit contemnenda. Nunc ad id, quod officium ipsum mihi iniungit. Gratulor TIBI natales, quos saluus, incoluis que, *Deo proprio*, iam vides. Gratulor eos opto que, multos adhuc quieto aequa ac tranquillo animo, quem haec in primis tempora maxime turbant, videoas. Fruaris, opto, perpetua ac continua felicitate. Fruaris pace, quae nobis quam primum terras *Principem* que Clementissimum restituat, perpetua, dulcissima, ab omnibus exoptata; qua facta non sine ratione spero, fore, ut in TE aequa ac in splendida TVA FAMILIA, potissimum vero, in Filio, bonae spei Iuene, TE patre digno, mihi meae que fidei commisso, aliquando adquiescere possis. Sed ne dedicationis & gratulationis transgredi videar limires; ardentissima pro TE, TVA incolumitate, TVA que splendida Domo ad *Deum* T. O. M. mittam vota. Tueatur TE numen, quod omnia regit, tectum, sartum, incolumem! Tueatur TE omni intuicia superioriem! Auerrat a TE TVA que amplissima familia omnes casus, omnes morbos, iubeat TE multos solis videre redditus! Viuas semper felix, faustus, beatus! Viuas TVIS solatio, mihi vero PATRONVS is que Certissimus! At ne quid omittam, rogo TE, ut & in posterum mei curam geras me que non plane indignum habeas, quem Patrocinio TWO gratissimo, Fauore TWO incredibili, singulari TWO Amore, mirifica denique TVA Beniuolentia amplectaris. Ego vero id vincere agam, ut me quotidie beneficiorum TVORVM magnitudine reddam dignorem, ut TE eorum haud unquam poeniteat; qui sum quoad viuam,

## EXCELLENTISSIMI TVI NOMINIS

Dabam  
Stollbergae Hermundur.  
d. XVI, Ianuarii  
A. P. C. N.  
eIo Io cc LVI.

Cultor perpetuus

S A M V E L R E I C H E L, Lips.  
I. C.



Q. D. B. V.

COM MENTAT I O

D E

DIE BVS LVSTRICIS.

---



VVM quaedam meditari constituerem; mihi meditanti in mentem veniebant quaedam iuris nostri capita ea que maxime controuersa, in primis Legis Gliciae ante CVIACI tempora in cultae ac incognitae caput, quod vltierius prosequi & ex Auctoribus aque ac Inscriptionibus explanare atque interpretari vellem; at enim vero lege ista ficta paulo accuariori pede lustrata, intellexi, CVIACI sententiam calculum haud mereri, a) licet plerique ex recentioribus ICtis CVIACIO Iurisprudentiae restaturatori alias acutissimo adhaereant.

D: 3

Placent

- a) conf CVIACIVS in Obsr. II. 21. & XVII. 17. vbi affirmat, querelam inof-  
ficioſi introductam fuiffle lege Glicia.

Placent potius quae erudite pro more suo disputat HOTMANNVS, b) quo perleto Legem Gliciam iure merito que ad non entia & Eruditorum fictiones referto, querelam que inofficioi magis ex ICtorum consiliis datis & ab aliis acceptis moribus que temporum, quam ex pecuniali lege, nomine Gliciae insignita, interpretandam esse affirmo, quod recte vidit HEINECCIVS, c) qui HOTMANNI sententiam praeferendam esse scribit d) CVIACIL. Quae cum ita sint, mentem mutau & HEINECCIO perlegendo incidi in materiam de diebus lustricis, quam vterius iam explanabo. Quae dicenda mihi videntur, dicam, ea, quae coniicendo adsequi potui, adiiciam, Beniuoli que Lectoris totam dissertatiunculam linquam iudicio, certo sperans, fore, vt non ex rigore iuris, sed ex aequo bono que eam dijudicet. Sciet enim B. L. veteres & recentes Ateii Capitonis vestigia prementes bene vidisse: *Summum ius, sive rigorem iuris summam esse inturiam.* Quemadmodum ergo litigantes iudicem amant aequant; ita mihi promitto Lectorem aequitatis non studiosum, studioſſimum.

RECTE TULLIVS Eloquentiae pater scribit, e) omnem quae a ratione suscipiatur de aliqua re institutionem debere a definitione proficisci, vt intelligatur, quid sit de quo disputatur; vt itaque B. L. intelligat, quid sint dies lustrici, ne regulam istam, quam Cicero publici rantum iuris fecisse creditur, transgredi videar, ab illorum definitione initium capiam. Sequor autem in istis definiendis FESTVM finiendo lustricos dies sic determinantem; Dies lustricos infantium appellari puellarum octauum, puerorum nonum, quibus his lustrantur infantes iisque imponuntur nomina. f) A quibusdam, inter quos est TERTULLIANVS, g) vocantur nominales, ICtus Romanus VLPIA-

b) HOTMANNVS in diss. de IVta legit. Cap. 1.

c) HEINECCIVS in Synt. Antiqq. Rom. II, XVII. 5.

d) Ibidem.

e) CICERO in egregio libello de officiis Libr. I, 3.

f) Festus sub voc. Dies lustrici. Iung. MACROBIVM in Saturnal. I. 16.

g) TERTULLIANVS de Idololatria c. 16. cf. SCALIGER in Festum sub voc. laud.

**PIANVS** h) dies nominum dicit, quem **VLPIANI** locum **MERILLI** vs lance chirurgica emendare, licet frustra, studuit. i) Fuerunt itaque dies lustri, vt ex locis adductis adpareret, dies festi priuati, quibus liberi recens nati exhibitis certis solennibus que ritibus sunt lustrati, nomina que acceperunt.

**PRMVM** itaque notandum est, parentum fuisse, liberos sibi natos, vti sustulerant agnouerant que, l) in fastos, acta que publica referre, ll) quod vberius docet **SVENTONIVS**, m) quae relatio, quando fieri debuit

h) **VLPIANVS** in Fragm. T. XV. Non fruitile erit de hoc **VLPIANO** quaesdam adiicere, ex quibus adparebit, eum fuisse ICTUM egregium. Patriam illius quod attinet, ipsam ipse refert in L. I. pr. D. de Censib. Vedit ALEXANDRI SEVERI Imperat, tempora, qui Imperator **VLPIANVS** suum nominat Parentem & amicum suum. v. L IV. C. de loc. cond. L. IV. C. de contr. stipul. De illius eruditione ipse testatur **IUSTINIANVS**, in L. un. §. 9. C. de Cad. tollend, vbi eum *summum ingenii virum* & in N. 97. c. 5. §. 1. *Sapientissimum* dicit. **MODESTINVS** ICTus eum vocat *egregium*, eum inter ICTorum coryphaeos refert, vid. L. II. §. 5. D. qui pet. tut. L. XIII. §. 2. D. de Excusat. Habeimus & alios Vlpiani nomine praeditos, de quibus egregie & eleganter **GVL**. **GROTIVS** egit in vitis ICTorum L. II. c. X. 8. vid. **GAVINA** de O. I. L. I. p. 74. **HOMMELIVS** Vir III. in dist. de Panniculariis §. 2. Lips. 1752. Libros, quos scripsit, docet nos **LABITTVS** in Indice Legum & in libro, qui inscribitur de nominibus propriis τὰ παιδίατα florentino, quem cum notis **ANTON.** **AVGUSTINI** inuenis in OTTONIS Thesauro T. I. p. 143.

i) **MERILLI** in Obff. II. 3.

l) Patrum erat, infantes recens natos tollere. Deponebantur vero infantes nati in terra; quos si pater probaret, & educare decerneret, suscipiebat. Sin non probaret, educare que recusaret infantes, non tollerat, & licebat illum non sublatum & non agnatum infantem quounque modo perdere. Quae immanitas! de qua immanitate vid. BOECKERVS in Chrestom. Terent, sub voc. Exponere.

ll) De relatione sive professione natali vid. L. VI. C. de fid. instr. & L. vlt. C. sine censu vel relig. quae leges professionis natalis & censualis faciunt mentionem.

m) **TRANQVILLYS** in vitis Tiberii V. Caligulae VIII. ad quem dignus qui legatur, est **PITISCVS** & **TORRENTIVS**.

debuit, mihi non satis constat, n) **IVL.** quidem Capitolinus refert, intra trecesimum diem nomine imposito infantes profiteri iussisse **M. ANTONINVM**, addit que primum illum fuisse Imperatorem, qui hocce institutum in Republica romana introduxisset. \*) Sed recte cum refutauit **TORRENTIVS**. o) **DIONYSIVS** enim **HALICARNASSEVS** cum scribat, p) **SERVIVM** **TULLIVM** Rom. Reg. voluisse, ut in singula recens natorum capita Iunonis Lucinae templo aliquid inferretur, atque in censu agendo liberorum nomina aetates que referrentur; hinc maxime sit verosimile; iam a temporibus illis morem profitandi liberos apud aeta & referendi in fastos inualuisse Romae; a **M. vero ANTONINO** Imperatore temporis vetustate, vti fieri solet, obsoletum illum morem fuisse restitutum. **SERVIVS** vero ipse **TULLIVS** Romanorum Rex omnis ordinis omnis que discriminis in ciuitate a Liuio dicitur Auctor.

**VIDIMVS** ex locis **FESTI** & **MACROBII**, q) lustrationem puellarum octauo, puerorum nono peractam fuisse die; cuius rei rationem antequam inuestigamus; obseruatu dignum iudico, morem liberorum lustrandorum ab eruditis e Graecorum institutis repeti solere, quod fecit Pitiscus. r) Licet hac de re afferat testimonia; Docet tamen

n) vid. **HEINECCIVS**, quem haud vnquam sine voluptate legere soleo, de Leg. Iul. Pap. & Popp. L. II. c. VIII. p. m. 213.

\* ) **IVL. CAPITOLINVS** in hist. Scriptor. August. edit. Salmasian. p. 26.

o) **TORRENTIVS** ad **SVETONIVM** in Tib. c. 5.

p) **DION. HALICARN.** in Antiqq. Rom. L. III.

q) locis supra adductis.

r) Pitiscus in Lexic. Antiqq. Roman. sub voce: dies lustrici T. II. p. 46. Hag. Comit. 1737. in fol. ritus ipsos satyrice refert **PERSIVS Satyr.** II. v. 31-39. sic canens:

Ecce auia, aut metuens diuum matertera, cunis

Exemit puerum, frontem que atque vda labella

Infa-

vir doctus, s) ex SVIDA, pueris ciuium Atticorum decima demum noctium a natali nomina fuisse data; ARISTOTELEM illud de septima affirmasse. Accedit locus PLAVTI, qui ad Graecorum consuetudinem sic alludit. t)

Quin Diis sacrificare hodie pro puero volo

Quinto die quod fieri oportet.

Quae maxime sane diuersa, qua ratione conciliari possint, non nostrum est, expedire. Ceterum mores diebus Iustricis visitatos Romae, e Graecia deriuari posse, inde forte aliqua probabilis ratio reddi potest, quod ex dicto SVIDAE testimonio adparet, apud Athenienses, cum pueri nati essent, paternos maternos que cognatos, amicorum que praecipuos esse conuocatos, Diis Deabus que facta fuisse sacrificia, & qui conuenissent fuisse conuiuatos; quod & Romae vsu venisse postea indicabimus.

CAVSAM cur octauo & nono demum die Iustrati fuerint infantes, fateor, me nullam scire praeter eam, quam Aristotelem dare tradit PITISCVS, u) plerosque nimirum puerorum mori solere ante VII. di-

Dicit XII

em,

Infami digito, & Iustralibus ante safiuis

Expiat, vrentes oculos inhibere perita,

Tunc manibus quatit, & spem macram supplice voto

Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in aedes,

Nunc optent generum Rex & Regina; puellae

Hunc rapiant: Quicquid calcauerit hic, rosa fiat,

Ast ego nutrici non mando vota; negato

Iuppiter haec illi, quamuis te albata rogarit.

s) PITISCVS cit. loc.

t) PLAVTS in Trucull. II, IV.

u) ARISTOTELES in hist. animal. VII. PITISCVS l. c.

em, & ideo tunc nomina iis imponi tanquam de ipsorum faltis iam certior sit fiducia. Neque magis certe scio, quam ob rem puellarum prius, quam puerorum lustrationes fuerint suscep<sup>t</sup>ae. Varias memorat PLVTARCHVS, w) atque inter eas aliquam sane ridiculam, quam hic adiudere iuuat. Numerum, ait, censuerunt, congruere, Pythagoricos fecuti, quia omnium numerorum nouenarius primus est quadratus, natus ex ternario, qui est impar & imperf<sup>ect</sup>us; octauus autem primus est cubus, natus ex binario pari; oportet autem mare esse quadratum, agilem & perf<sup>ect</sup>um; feminam cubi instar, stabilem, domi adfixam & non facile mobilem. Nugae! Altera, quam addit, ratio, nisi certa, paulo tamen verosimilior mihi videtur; quod nimirum feminae citius crescant, ad vigorem perueniant, atque absoluantur. Siquidem etiam, vti ex iure romano, x) notum est, maturius ad pubertatem feminae quam mares peruenire credebantur.

NVNC de solennitatibus, nunc de ritibus breuibus dicere haud iniucundum esse arbitror. Omnes autem solennitates ritus que diebus Iustricis adhiberi solitos breuiter carmine complectitur sale que satyrico adsperrgit PERSIVS y) quem nemo diligentius melius que expouuit, quam CASAVEONVS, z) quem ne breuitatis leges transgredi videar, commendo. Pauca tamen delibabimus, alia que huc pertinencia ex aliis scriptoribus deponita, adiungemus.

DIES Iustricus cum illuxisset, conueniebant cognati & amicorum praecipui, diem que communis gaudio, gratulationibus & deinde ad epulum adhibiti, vino & hilaritate consumebant, quod praeccipue patet ex IVL CAPITOLINO. a) Dominis quoque ea occasione mune-

ra

w) PLVTARCHVS in quaest. Rom. c. III.

x) L. IIII. D. de R. N. pr. I. quibus mod. tut. fin.

y) PERSIVS Satyr. II. 31.

z) CASAVEONVS ad Persium.

a) IVL, CAPITOLINVS Clod, Albin. IV.

ra data fuisse a seruis ex eorum apud Terentium discimus quærelis. b) Infantibus ipsis nomen haud dubie imponebatur a parentibus; non nunquam ab aliis cognatis id factum esse nos docet Svetonius, qui de Neronis natalibus narrat, C. Caesarem rogante Sorore Agrippina matre Neronis, ut infanti, quod vellet, nomen daret, patrui sui Claudi nominem ei imposuisse. Ipsa nomina non nunquam ex captatis omnibus, loci temporisue ratione petita fuisse affirmat Casavbonus. c)

OMNIS præprimis superstitionis plena ipsa erat lustratio. Sacra siebant Diis Deabus que in primis Cuninae, d) quod laudatus Casavbonus ad Persii locum egregie probat. Ipsi infantes e cunis excimabantur per aedes ciuium, eorumque ditissimorum, boni omnis causa, nec non ob religionem per Deorum Dearum que templo circumferebantur. De Caligula Imperatore testatur Svetonius, e) eius filio Iuliam Drusillam appellatam per omnium dearum templo circumlatam gremio que Mineruae fuisse impositam. Praeterea a via alia, anus cognata eaque perita superstitione ritu infantem suscipiebat, amuleta f) ei appendebat frontem & labra medio adhibito digito lustralibus salutis confupocabat. Credebant vero his omnibus vim aduersus fascinationes inesse præcipuum; quibus omnibus peractis sequerantur vota, preces que concussis manibus factae, quibus infanti recensato, nunc lustrato sequenti modo diuitias a Diis poscebant: g)

Nunc

b) TERENTIVS in Phormione I, 1, 13. qui hac de re vtitur vocabulo initiari.

c) CASAVBONVS ad Persium.

d) VIRGILIVS videtur ad hunc locum alludere in Ecl. III, 103. cum sic canat:

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

e) TRANQVILLVS in Vita Calligulae XXV. ad quem legatur PITISCVS.

f) Amuleta, quae fuerint, nos docet PITISCVS in Lexic. Antiqq. Rom. Part. I. p. 90. sub voce amuleta.

g) PERSIVS Satyr. II. 36.

Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in aedes.

Sed & vobebant felicitatem pueris omnibus numeris absolutam: h)

Quicquid calcauerit hic, rosa fiat.

QVIBVS consideratis non sine ratione colligere mihi video, ICtos ab infantum lustratione ipsi pecuniae, quam patrini infanti in Baptismate offerunt, nomen pecuniae dedisse lustrieae, de qua quae-dam adiicere, docere que possem ad quam peculii speciem, cum maximus hac de re inter eruditos sit dissensus, referri debeat; at eum satis egregie que hac de re egit Vir Celeb. IOAN. TOB. RICHTERVS i) quaestionem adhuc mouebo, vtrum infans nondum lustratus in testamento a testatore parte, nunc mortuo, non institutus pro non instituto & exheredato sit censendus? Ego quidem puto, cum de illius infantis fauore quaeratur, omnino in regula pro rite instituto, talem infantem, nondum lustratum, haberi debere, in primis cum nulla ingratitudo in talem cadere possit; quae tamen efficit, ut quis exheres scribi queat. De ipsis natalibus restituendis eruditam compo-suit BREVNINGIVS dissertationem; l) hinc filum abrumpam; Siste iraque pennam! desine scribere! sed noli acquiescere, plura potius alia occasione alio que meditare tempore. Iam eane cum Virgilio m)

Claudite iam riuos pueri, sat prata biberunt.

h) Idem ibid. 38.

i) vid. RICHTERI V. celebrr. Patroni ac Praeceptoris mei, quos veneror, optumi, diss. de sumtibus studiorum ad peculium quasi castrense non pertinenterbus §. I. Lips. 1752. Eiusdem Selectiora Iuris Principia diss. XXII. §. 8. quae Selectiora ab solidam & facilem legum conciliationem in primis sunt commendanda.

l) Vir. Excell. BREVNINGIVS, Patronus aequi mihi venerandus in diss. de natalibus restituendis.

m) VIRGILIVS in Eclog. Ecl. III, v. f.



MC

Kb 3-376

No 18

ULB Halle  
007 678 55X

3





B.I.G.

7248

19

Farbkarte #13



COMMENTATIO  
DE  
DIEBVS LVSTRICIS

AVCTORE

SAMVELE REICHELE

LEGVM CVLTOR.E



K65376

CHEMNITI CLO IO CC LVI

\* \* \* \* \*

LITTERIS STOESSELIIS.

1231

